

**SCRIPTA QUAE MANSERUNT
OMNIA, FASK. 43,
DE FINIBUS BONORUM ET
MALORUM LIBRI QUINQUE**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649142224

Scripta quae manserunt omnia, Fask. 43, De finibus bonorum et malorum libri quinque by M. Tulli Ciceronis

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

M. TULLI CICERONIS

**SCRIPTA QUAE MANSERUNT
OMNIA, FASK. 43,
DE FINIBUS BONORUM ET
MALORUM LIBRI QUINTQUE**

M. TULLI CICERONIS
SCRIPTA QUAE MANSERUNT OMNIA

FASC. 43

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM 45
LIBRI QUINQUE

RECOGNOVIT
TH. SCHICHE



LIPSIAE IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI MCMXV

PRAEFATIO

Ad Ciceronis de finibus bonorum et malorum libros recensendos codices adhibui partim iam pridem adhibitos partim a me primum collatos. Prioris generis hi sunt:

1. Palatinus 1513 (= A) in bibliotheca Vaticana, membranaceus formae quaternariae, qui putatur saeculi esse XI. Continet solos de finibus libros ac ne eos quidem integros; desinit enim IV 16 (cf. ad p. 126, 25). Eius codicis praestantiam cognovit Gruterus¹⁾, qui eum in notis ad libros de finibus adscriptis saepe commemorat. Plenam huius libri collationem, quam G. Baiter in editione Turicensi altera (1861) proposuit, fecit Carolus Prien idemque codicem accurate descripsit²⁾; specimen eius exstat apud Chatelain.³⁾

2. Palatinus 1525 (= B) in bibliotheca Vaticana, chartaceus formae maximae, saec. XV; in folio 215 legitur annus 1467. Permultos hic codex continet Ciceronis libros et orationes⁴⁾, eoque Gruterus in editione sua omnium Ciceronis operum multifariam est usus. Atque in folio, quod in eo Ciceronis scripta praecedit, legitur, quibus numeris eum Gruterus significet in adnotationibus criticis, quas in editione sua verbis Ciceronis adscripsit. Neque enim in omnibus libris Ciceronianis, in quibus hoc codice ille usus est, eodem numero eum significat. Scriptum igitur illic

1) *Ciceronis opera omnia* ex sola fere codd. mss. fide emendata studio atque industria Iani Gulielmii et Iani Gruteri, Hamburgi 1618.

2) Carl Halm, *Zur Handschriftenkunde der ciceronischen Schriften*, München 1850, p. 16 sq.

3) Émile Chatelain, *Paléographie des classiques latins*, première partie, Paris 1884—1892, tab. XLIII.

4) Disputavit de eo C. Halmlus copiosius in libro, qui inscribitur „Archiv für Philologie und Pädagogik, 15. Band“ vel „Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik. 15. Supplementband“ Leipzig 1849, p. 167 sqq., brevius in libro modo dicto (*Zur Handschriftenkunde der ciceronischen Schriften*) p. 17.

est hunc codicem in libris de finibus a Grutero vocari secundum, quod falsum est. Nam re vera in his libris recensendis ille hunc codicem non adhibuit aliumque pro eo librum Palatinum minus bonum, quo usus est, appellavit secundum (cf. C. Halm, Archiv p. 175 not. 35).¹⁾ Quo factum est, ut codicis B lectiones primum innotescerent collatione a Carolo Prienio facta et a G. Baitero in editione altera Turicensi proposita. Huius quoque codicis specimen exstat apud Chatelain (l. l. tab. XXV).

- E 3. Erlangensis (= E) n. quondam 38, nunc 847, in bibliotheca universitatis Erlangensis. Continet hic liber dimidiam fere partem eorum librorum Tullianorum, quos exhibet Palatinus 1525.²⁾ Codicem Erlangensem solum ex bonis libris plene collatum habuit N. Madvigius, cum libros de finibus primum ederet a. 1839, egitque de eius in his libris forma p. XIX sqq. ed. 3 (1876). Hunc codicem in libris de finibus plane gemellum esse codicis Palatini 1525 apertum fit communitate multarum lectionum et bonarum et pravavarum, quae in solis his duobus codicibus inveniuntur. Par est etiam in utroque vocabulorum scribendorum ratio, paria sunt compendia, atque etiam scripturae genus in his quidem de finibus libris aut plane par aut certe admodum simile. Halmius (*Zur Handschriftenkunde* p. 3) codicem Erlangensem Heidelbergae non tantum comparatum esse — legitur in fine totius operae: „Comparatus est hic praesens liber per fratrem Conrad Haunolt in studio Heydelbergensi anno . . . LXVI [i. e. 1466]“ — sed etiam scriptum conicit, nec videtur dubium, quin libri de finibus in eum

1) Gruterus in libris de fin. sex usus est codicibus Palatinis, qui nunc adservantur in bibliotheca Vaticana, quos, cum ipse tractaverim, hic enumero. Primus fuit is, quem supra diximus, n. 1513, secundus n. 1512 (saec. XV, membran., contin. ll. de fin.), tertius n. 1524 (membran., saec. XV exeunt., contin. ll. de amic., de senect., paradoxa, ll. de fin., de off., disp. Tuscul., ll. de nat. deor., de div., de fato, de leg.), quartus n. 1511 (membran., saec. XV vel XVI, contin. ll. de fin. et Academ. poster.), quintus n. 1516 (membran., saec. XV, contin. disp. Tuscul., ll. de fin., Academ. poster.), sextus n. 1515 (scriptus a Iohanne de Vellate, ipso quidem bis testante, contin. ll. de fin., Lucull., Tim.). Quos omnes praeter primum deteriorum codicum in genere esse habendos ex indicibus quibusdam huic generi codicum communibus (cf. p. VIII sq.) colligitur.

2) Cf. de Erlangensi praeter Halmium (Archiv p. 170 sq., *Zur Handschriftenkunde* p. 2 sq.) J. C. Irmischer in catalogo biblioth. Erlang. (1852) p. 219 sq.

ex eodem exemplari atque in codicem Palatinum 1525, fortasse etiam ab eodem scriba sint transscripti. Tres ultimi modo libri Tulliani, de amic., de sen., parad., in Erlangensi ab alia manu scripti sunt atque praecedentes, eaque his posuit anni numerum; legitur enim in fine libri de sen.: „Finit Tullius de senectute. 66^a [i. e. 1466] C. H. [i. e. Conrad Haunolt],“ itemque in fine paradoxorum: „C finit H LXVI [i. e. 1466] in die Albini.“ Quibus ex subscriptionibus concludi posse videtur, hos ultimos tres libros anno 1466 scriptos esse a Conrado Haunolt. Superiores autem libri cum et ipsi unius scribae manum prae se ferant, omnes ab eo scripti videntur, qui in fine l. III de off. — id primum est operum Tullianorum hoc volumine comprehensorum — nomen suum posuit eiusdemque illius anni numerum. Ibi enim legitur: „Expliciant libri tres de officiis marci tullii ciceronis. Scripti per me bernhardum groschedel de remingen Anno 66 proxima feriali die post bartholomei.“ Hunc igitur hominem in utroque codice libros de finibus scripsisse veri simile est.

Iam ne quis miretur, si in adnotatione nostra de his tribus codicibus ABE nonnunquam aliud quid, atque apud Madvigium aut Baiterum traditur, inveniri aut discrete dicitur aut ex silentio concludi debet, hic affirmare necesse est, me hos quoque codices ipsum tractasse.

Codicibus ab aliis ad libros de finibus recensendos nondum adhibitis usus sum his:

1. Rottendorffianus (= R), qui est in bibliotheca academiae Lugduno-Batavae Gronovianus 21, formae quaternariae min., saec. XII. In imo margine folii primi inscriptum legitur: „Liber Bern. Rottendorff S. D.“ De Ciceronis libris de fin., qui in huius codicis f. 1—21 leguntur, J. Geelius in catalogo libr. manuscr., qui inde ab anno 1741 bibliothecae Lugd.-Bat. accesserunt (1852), p. 136 haec dicit: „Omnia sine librorum distributione continuantur.“ Quod ita non est, sed finito unoquoque priorum quattuor librorum duos primos versus insequentis libri ita librarius scribere incipit, ut spatium vacuum relinquatur litterae initiali, quamquam ea non ponitur. Pergit Geelius: „Deterioris ordinis esse hae lectiones demonstrant: I 1 *quidam non tam id reprehendunt*; 2 *defensa et collata est*; ib. *semel tam missum*; et praesertim § 34: *quo pertineant non intelligantur*.“ Iam videamus, quo iure ex his quattuor exemplis Geelius hunc librum deterioris esse generis concluderit. In primo exemplo vera lectio est *quidam autem non tam id reprehendunt*, omissum igitur est in hoc libro vocabulum *autem*, quod in dett. non deest, et pro *non tam id* est in dett.

non id tantum (cf. Madvig). § 2 pro *collata*, quod etiam ex Parisiensi apud Mdv. adnotatur, omnes reliqui libri, de quibus constat, et meliores et deteriores, habent *collaudata*. Ib. *semel iam missum* est in codd. melioribus et in deteriorum longe pluribus. Denique I 34 *intelligentur pro intellegamus* legitur etiam in uno pessimo Davisii codice. Ex his *collata* et *intelligentur* menda sunt, quae a diversissimorum codicum librariis interdum pariter committuntur, *non tam id* autem ipsius meliorum codicum generis est indicium, ut nihil relinquatur, quo codicem R in deteriorum codicum genere habendum esse demonstraretur. Meliorum potius codicum numero R addendum esse vel inde apparet, quod magna intercedit necessitudo inter hunc librum et codicem Morellanum. Guil. enim Morelius edidit librum, qui inscribitur: *Observationum Gulielmi Morelli Tiliant in M. T. Ciceronis libros quinque de finibus bonorum et malorum commentarius*. Parisiis, Apud Ioannem Lodoicum Tiletanum, ex adverso collegii Remensis, 1546. Cuius libri in epistula dedicatoria dicit Morelius (huius epistulae p. 4), se Ciceroniana, ut nonnunquam ex comparatis cum Cicerone auctoribus Graecis, ita magnam partem e vetere codice manuscripto proponere voluisse. Occurrunt deinde in Morellii observationibus multae lectiones ex codice quodam vetere allatae¹⁾, quibus et Madvigius et Baiterus iure multum tribuerunt. Nec plus uno libro vetere manu scripto Morello praesto fuit; saepius enim loquitur de vetere illo codice, quo usus sit vel quem habeat, numquam de pluribus. Dicit ille quidem hic illic: „alii codices legunt,“ „codices nonnulli habent,“ „alii codices habent,“ sed tum nihil nisi libros impressos significat, qui quidem etiam Cratandri editionem Basileensem Germanicos codices appellet atque locis loquatur de codicibus excusis vel codicibus impressis. Nihil igitur eo efficitur, quod ille ad I 26, cum se antea iam ter (ad I 2, I 6, I 16) codicem suum veterem commemorasse oblitus sit, se verba *Etenim detractis de homine sensibus* ex inferiore loco huc traducta esse ex veteri quodam manuscripto codice facile animadvertisse adnotat, tamquam antea de hoc libro nondum sit locutus. Quae vero hoc loco (§ 26) in libro suo manuscripto se legisse dicit, haec sunt: „*Nam ante Aristippus et ille melius. Etenim quoniam detractis de homine sensibus, reliqui nihil est, necesse est quid ad naturam aut contra sit, a*

1) Eas J. C. Orellius in Ciceronis Academicorum et de finibus librorum editione ea, quae prodiit Turici 1827, p. 339 sqq. cum paucis aliis Morelli notis excerpsit.

natura ipsa iudicari, et expetendam, et dolorem ipsum per se esse. Addidisti ad extremum, etc." Respicit postea Morelius ad hunc locum in adnotatione ad verba *a natura ipsa iudicari* (I 30), ubi haec dicit: „post ea verba nonnulli codices habent praeterea *voluptatem et per se expetendam esse et dolorem ipsum per se esse fugiendum, quae* in veteri codice, quo usi sumus, non reperiuntur; tametsi in eo loco, quem hinc traductum superius dixi, eius lectionis vestigia appareant. Ita enim legebatur: *iudicari et expetendam, et dolorem ipsum per se esse.*" Iam haec omnia, quae his duobus locis de codice suo manuscripto Morelius affirmat, prorsus pariter reperiuntur in cod. R neque, quod sciamus, in ullo alio praeterea. In reliquis quoque locis a Morelio ex vetere illo manuscripto codice allatis, qui sunt fere ducenti, quantus sit huius libri consensus cum codice R vel ex selecta nostra adnotatione critica intellegit, qui quae de codice Moreliano traduntur cum ea comparat. Hoc loco satis habeo enumerare ea exempla lectionum ab his duobus codicibus solis exhibitarum, quae adnotatio nostra continet: p. 17, 13 *cum om.*¹⁾; 19, 4 *bonorum om.*; 30, 10 *voluptates*; 40, 20 *doceri*; 45, 7 *negliganter*²⁾; 45, 9 *didicerunt quae ille contemnit sic solent Duo genera cupiditatum naturales om.*; 53, 24 *nisi ubi*; 75, 8 *quae non (que non)*; 77, 23 *veneantur (vuen.)*; 93, 11 *magis idem declarat*; 135, 12 *e virtute*; 137, 13 *iam*; 149, 10 *caeco (ceco)*; 150, 7 *summa crescere possunt*; 169, 3 *occurrent*; 177, 22 *actis*; 185, 12 *iacentes*; 191, 16 *consistere*; 199, 20 *dubium*; 202, 18 *genu*. De dissentientibus horum librorum lectionibus ex Morelii excerptis minus promptum est iudicare, quia est quod suspicemur saepius cum scripturam codicis sui non tam accurate ponere quam vellemus (cf. Madvig. 1876 p. 10). Etiam si vero dici posse videtur, neutrum horum librorum ex altero esse descriptum, tamen nulla est dubitatio, quin ex eodem fonte fluxerint.

5. Codex Neapolitanus IV G 43 (= N) membran. formae N quatern. saec. XV (cf. C. Janelli, Catalogus bibliothecae Latinae . . . manuscr. quae in regio Neapolitano Museo Bourbonico adservatur, Neapoli 1827, p. 233). Continet libros de finibus usque ad V 79 (cf. ad p. 195, 9) et partes quasdam

1) Idem de J. F. Gronovii codice Madviglius adnotat, neque dubito, quin Gronovii codex fuerit hic ipse Rottendorffianus.

2) Morelius: „*negligenter*“, corrigens, ut videtur, tacite scribendi rationem; nam „*negliganter*“ propius accedit ad veram h. l. lectionem „*ineleganter*“.

Academicorum poster. (§ 19 *pravumve quid consentiens* — 26 *itaque aer* et § 32 *ad probandum* — 46 *quadam fuit facultate et to*). De hoc codice disseruit F. Gustafsson (cf. *Hermes*, vol. XV, 1880, p. 466 sqq.) et iure suasit, ut ad recensendos de fin. libros adhiberetur. Esse enim hunc librum optimae originis ex eo efficitur, quod ille et bonis et pravis lectionibus cum A (A⁷) et R passim consentit. Obscuratur autem haec communis cum bonis libris origo magna multitudine correctionum, quae aut a librario aliquo sunt excogitatae aut, id quod plerumque factum est, ex librorum deteriorum genere haustae (cf. ad p. 19, 25; 20, 21; 21, 10; 22, 17; 31, 19; 44, 24; 45, 6; 47, 5; 47, 27; 50, 17; 53, 6; 56, 21; 58, 20; 62, 12; 63, 26; 69, 1; 69, 5 cet.). Quarum emendationum plurimae non sunt translatae ex eo exemplari, quod librarius describebat, sed in hoc ipso libro ita immutatis litteris aut erasis factae, ut non dubium sit, quin primitus scripta fuerit bonorum librorum lectio.

- V 6. Codex Vaticanus 1759 (= V) membran. formae quatern. saec. XV (cf. Bibliothecae apostolicae Vaticanae codices manuscripti . . . Codices Vaticani Latini tomus III, rec. B. Nogara, Romae 1912, p. 224). Hic liber praeter Modesti de re militari libellum in fine positum haec continet Ciceronis opera philosophica: de nat. deor., de divin., Tim., de fato, de fin. iterumque Tim. Ut huius quoque codicis lectiones ponerem in selecta varia lectione, eo factum est, quod hic liber magna ex parte caret vulgari interpolatione deteriorum codicum. Quod quo melius specimine aliquo intellegatur, indicia quaedam in universo genere horum codicum manifesta, quibuscum comparem codicem V, hic pono sumoque pro exemplo Palatinum 1515, qui fuit Gru-teri sextus. Legimus

p. 12, 5 sq. . . . *et ille melius addidisti ad extremum . . .*

p. 14, 1 sq. . . . *a natura ipsa iudicari. ea quid percipit aut quid iudicat . . .*

p. 45, 6 *naturales et non necessariae*

p. 45, 9 . . . *sed frangere. qui haec didicerunt, quae ille*

in Pal. 1515 . . . *et ille melius Etenim quoniam detractis de homine sensibus. addidisti ad extremum . . .*

. . . *a natura ipsa iudicari. Voluptatem etiam et per se expetendam esse et dolorem ipsum per se esse fugiendum. En quid percipit aut quid iudicat . . .*

naturales non necessarias

. . . *sed frangere rem. Qui si diceret cupiditatum esse*